



The Holy See

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA ***FARIDABADENSIS SYRO-MALABARENSIUM**** IN INDIA NOVA EPARCHIA FARIDABADENSIS
SYRO-MALABARENSIUM CONDITUR

Ad aptius consulendum spirituali bono atque regimini Christifidelium Syro-Malabarensium degentium in regione septemtrionali Indiae, quae comprehendit urbem principem Delhiensem necnon civitates Haryana, Punjab, Himachal Pradesh, Jammu Kashmir et provincias Gautambuddhanagar ac Ghaziabad ad civitatem Uttar Pradesh pertinentes, opportunum est visum pro iisdem Eparchiam condere. Audito igitur Venerabili Fratре Nostro S.R.E. Cardinale Praefecto Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, suprema Apostolica auctoritate constituimus Eparchiam *Faridabadensem Syro-Malabarensium* cum omnibus iuribus atque obligationibus, cuius sedem ponimus in urbe Faridabad. Eius autem constitutio et administratio ad normas Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium fient. Quae vero iussimus ad effectum rite adducantur deque absoluto negotio sueta documenta exarentur et ad Congregationem pro Ecclesiis Orientalibus mittantur. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis rebus nihil obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto mensis Martii, anno Domini bis millesimo duodecimo, Pontificatus Nostri septimo.* Tharsicius card. Bertone

Secretarius Status Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Franciscus Di Felice, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. CIV (2012), n. 5, p. 403. © Copyright 2012 - Libreria Editrice Vaticana
